

**Disputatio medica inauguralis de phthisi pulmonali ... / eruditorum examini
subjicit Georgius Joannes Ogilvy.**

Contributors

Ogilvy, George John, 1780?-1810.
Long, William, 1747-1818
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Edinburgi : Excudebant Adamus Neill et Socii, 1804.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/fu5rfs47>

Provider

Royal College of Surgeons


License and attribution

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



Long Egg

(6)


With the Author's comple

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

PHTHISI PULMONALI.



6

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
PHTHISI PULMONALI;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRTUOSI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GEORGIUS JOANNES OGILVY,

ANGLUS.

vii. Calendarum Julii, horâ locoque solitis.

—“Tertia est, longèque periculosissima species,
“quam Græci φθονο nominaverunt.”

CELSIUS.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

1804.

DISTRIBUTION OF DISEASE
IN ANGLO-INDIA
IN THE FIRST FIVE YEARS
OF THE COLONIAL GOVERNMENT

BY
WILLIAM HENRY COOKE,
M.D.,
A FRUITFUL STUDY OF
THE MEDICAL HISTORY OF
INDIA.

WITH A HISTORY OF
THE MEDICAL SERVICES OF
INDIA, AND A HISTORY OF
THE MEDICAL SERVICES OF
INDIA.

BY
WILLIAM HENRY COOKE,
M.D.,
A FRUITFUL STUDY OF
THE MEDICAL HISTORY OF
INDIA.

WITH A HISTORY OF
THE MEDICAL SERVICES OF
INDIA, AND A HISTORY OF
THE MEDICAL SERVICES OF
INDIA.

BY
WILLIAM HENRY COOKE,
M.D.,
A FRUITFUL STUDY OF
THE MEDICAL HISTORY OF
INDIA.

WITH A HISTORY OF
THE MEDICAL SERVICES OF
INDIA, AND A HISTORY OF
THE MEDICAL SERVICES OF
INDIA.

BY
WILLIAM HENRY COOKE,
M.D.,
A FRUITFUL STUDY OF
THE MEDICAL HISTORY OF
INDIA.

WITH A HISTORY OF
THE MEDICAL SERVICES OF
INDIA, AND A HISTORY OF
THE MEDICAL SERVICES OF
INDIA.

BY
WILLIAM HENRY COOKE,
M.D.,
A FRUITFUL STUDY OF
THE MEDICAL HISTORY OF
INDIA.

WITH A HISTORY OF
THE MEDICAL SERVICES OF
INDIA, AND A HISTORY OF
THE MEDICAL SERVICES OF
INDIA.

BY
WILLIAM HENRY COOKE,
M.D.,
A FRUITFUL STUDY OF
THE MEDICAL HISTORY OF
INDIA.

NOBILI VIRO,

ALEXANDRO WEDDERBURN,

COMITI ROSSLYN,

BARONI LOUGHBOROUGH,

NUPER

SUMMO CANCELLARIO

MAGNÆ BRITANNIÆ,

&c. &c. &c.

INGENUARUM ARTIUM SCIENTIA,

ET OMNIBUS VIRTUTIBUS

QUE HOMINEM VEL CIVEM DECORANT,

ORNATISSIMO;

DE REGE, DEQUE PATRIA,

PER MULTOS ANNOS

OPTIME MERITO;

HANC DISSERTATIONEM

PEREXIGUAM,

SUMMA OBSERVANTIA,

D. D. C_{QUE}

GEORGIUS JOHANNES OGILVY.

дама издаст.
И Я УЛЫБНУСЬ ОЯДИАХЭЛ
Своей груди
Прекрасной груди
Своей груди
О я дама О симир
Завидите и помните
Мою грудь
Литине копта ревнивой
Святой любви помните
Сияющей маки да увидимся жир
Сомните и я
Сияющей маки
Святой любви да
Сомните и я
Много татильевато ван
Сомните и я
Литине копта
Сияющей маки
Святой любви да
Сомните и я

... *autumnale* *autumnali* *autumnalē* *autumnali*
— *familia* *familia* *familia* *familia* *familia*
— *inhale* *inhale* *inhale* *inhale* *inhale*

Autumnalē *autumnalē* *autumnalē* *autumnalē* *autumnalē*

E R R A T A.

Pag. 7. lin. 4. *pro* *acridi.* *lege* *acres.*

— 14. — 10. — *autumnale* — *autumnali*

— 25. — 19. — *familia*; — *familiari*;

— 41. — 21. — *inhale* *dis* — *inhale* *dis*

*Now spring returns : but not to me returns
The vernal joy my better years have known :
Dim in my breast life's dying taper burns,
And all the joys of life with health are flown.*

*Starting and shiv'ring in th' inconstant wind,
Meagre and pale, the ghost of what I was,
Beneath some blasted tree I lie reclin'd,
And count the silent moments as they pass ;—*

*The winged moments, whose unstaying speed
No art can stop, or in their course arrest ;
Whose flight shall shortly count me with the dead,
And lay me down in peace with them that rest.*

*Farewell, ye blooming fields ! ye cheerful plains !
Enough for me the church-yard's lonely mound,
Where melancholy with still silence reigns,
And the rank grass waves o'er the cheerless ground.*

*There let me sleep, forgotten, in the clay,
When death shall shut these weary aching eyes,
Rest in the hopes of an eternal day,
Till the long night is gone, and the last morn arise.*

M. BRUCE.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

PHTHISI PULMONALI.

EXORDIUM.

INTER omnes morbos quibus obnoxia est
gens humana, nullus est summam atten-
tionem medicorum magis sibi vindicans quàm
Phthisis, sive vastationes ejus spectamus, sive
illos qui sævitiae ejus objiciuntur. Ex ta-
bulis mortuorum Londinensibus patet, phthi-
sin pulmonalem quadraginta millia hominum
et amplius, in hac insula quotannis absu-

A

mere;

mere; et hæc generis humani strages immanis in juvenes præcipuè cadit, sæpè in formosissimos, præcipuè sequioris sexūs, et in eos qui ingenio, et animi et corporis elegantiâ, præstant *. Exempla porrò innumera sunt, morbi hujus per totas familias grassandi, et eas extinguendi, ut et in aliis multa miserorum corpore lentè et miserrimè debilitato tabescientium. Licet dicere, ex experientia luctuosissima, de morbo hoc pertinaci et inveterato; de spe subita ac læta, sed crudeli et illudente, quâ nonnunquam amicos amantes at anxious et mæstos ludit hic morbus, spe valitudinem gratam et quasi certam præbente,— at quæ brevi, signo omni fausto evanido, evanescit; itaque tristitiâ maximâ amicos afficiens, quippe quibus spes nulla est amplius relicta.

DE-

* GREGOR. *Dissert. inaug.*

DEFINITIO.

MORBUS hic a CULLENO celeberrimo definitur :

“ Corporis emaciatio et debilitas, cum tussi, febre hectica, et plerumque expectoratione purulenta *.”

HISTORIA MORBI.

MORBUS hic, licet in plurimis regionibus orbis terrarum haud peregrinus; in quibusdam multum, et forsitan in nulla plus quam in Insula hac, aliter admodum ferè valetudini faventi, grassatur.

Licet sexum utrumque, at fœmininum forsitan ferè magis, aggreditur; utrumque et ab ætate

* Synops. Nosolog. Method. ad gen. xxxvii.

4 DE PHTHISI PULMONALI.

ætate pubere, usque ad annum trigesimum, et aliquando ad quadragesimum ; quamvis nec hic desunt exceptiones. Hujus morbi duratio admodum varia est ; multum fortasse à vitæ ratione pendet. Aliquando cito morti dat ; nonnunquam verò, et haud infrequenter, miserum ægrum annos duos vel etiam plures vexat.

Inter medicos multum disputatum est, an phthisis in Britannia ex contagio originem dicit. Plures in singulis familiis eo afficiuntur ; unde labem hereditariam esse mihi verisimile videtur. Opinio contraria, miseris ægris infelicissima, in regionibus multis peregrinis viget, in quibus certior factus sum, languescentem hoc morbo miserum quasi pestem visitari.

A tussi levi, et nimis sèpè neglecta, ferè originem trahit morbus hic, ab omni exercitatione et noctis accessu auctus, at plerumque absque signo ullo admodum insigni vel dolore fixo : gradatim fit frequentior, præsertim nocte et post cibum ; lingua evadit rubra ;

rubra; pulsus celeres et duri; æger de pectoro constricto queritur; dolet thorax totus, vel pars tantum lateris; et somnus, propter tussin et dyspnœam, multum turbatur. Sub stadium hoc, evadit gradatim emaciatio; appetitus cibi minuitur, et vires ab exercitatione quavis levi exhauriuntur. Stadii hujus duratio varia est; sæpè per hiemem tussis et febris tamen demum augmentur: brevi fit expectoratio; pulsus evadunt pleni et crebri; gingivæ rubræ, et facies constricta; vox cava, et dolor lateris urgens; respiratio frequens et laboriosa: exacerbationes matutinæ et vespertinæ ægrum vexant; rubor circumscriptus genarum observari potest; decubitus in latus alterutrum difficilis est; cutis sentitur calidus et aridus; oculi evadunt coloris margaritas referentis, et dolores migrantes partibus corporis variis queritur æger: vesperem versus, membra extrema inferiora multum tumescunt; evadit expectoratio crebra, purulenta et sæpè sanguine imbuta; unguis fiunt adunci, deciduntque capilli: ve-

hementer

6 DE PHTHISI PULMONALI.

hementer sæpè urget dyspnœa ; sequuntur sudores nocturni maximè copiosi, diarrhœa, quæ vires miseri quām maximè exhauriunt : ad finem versus morbi, lingua immunda seu cum aphthis obducta observari potest ; fit demùm delirium, convulsiones lenes, et brevi æger extremum halitum efflat.



DE CAUSIS MORBI.

Ob ejus frequentiam in Insula hac, dantur rationes variæ ; sed harum plurimæ minùs ratæ, et certè dubiæ.

Placet multis auctoribus, causam phthisis opificiis nostris numerosis, eoque vitæ generi maximè sedentariæ, tribuere. At argumentum hoc ad hominum genus hocce solum pertinet, ideòque ut causa generalis ferri non potest.

Putant

Putant alii oriri a cibo animali nimio, et liquoribus distillatis, ab incolis nimis usurpatis, ex quo fiunt corpora eorum crassa, et humores præter naturam calidi et acridi. At argumento huic obstat, phthisin vigere in regionibus quibusdam aliis, in quibus cibo animali parùm vescuntur; et quidem, in Hibernia et Caledonia, genus hominum pauperius, ferè lacte et dietâ farinariâ utitur, neque ob hanc rem phthisis expers. Neque, me judice, generalem *theæ* usum, ut causam verisimiliorem habendam esse oportet: quandoquidem pro certo novimus, in regionibus quibusdam peregrinis, maximè usurpari theam; et nihilominus regionum incolis harum, præ insulæ hujusce incolis, phthisin morbum esse penitus ignotum.—Mihi igitur, phthisim scrofulæ et cœlo vario et mutabili, tribuendam persuadetur.

CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

Constat inter medicos ferè omnes, ex temperamentis omnibus *sanguineum* esse huic morbo opportunissimum; quod notatur cute tenui, nitidâ, oculis et capillis candidioribus, venis magnis et tumidis. Phthisici ferè etiam corpore modo peculiari formato sunt; scilicet, collo longo et tenui, thorace contracto et angusto, humeris prominentibus, et in genere corpore tenuiore.

Modus vitæ peculiaris, a multis est ut causa prædisponens habendus: At mihi videatur genus vitæ omne ferè, phthisi esse obnoxium. Haud negandum tamen est ob operæ naturam lapicidas, molarios, lanariosque, genera præ aliis esse hominum multò magis phthisi obnoxia. Constat etiam inter omnes, corporis habitu scrofuloso præditos, huic morbo esse proclives; scilicet, qui sunt labro superiore tumido, facie floridâ, glandulis conglobatis in cervice auctis prædicti, vel quibus est ophthalmia tarsi.

CAUSÆ

CAUSÆ EXCITANTES.

CUM hoc vitium a variis omnino fontibus, et ab aliis morbis prægressis, originem dicit, omnes causas quæ huic morbo ansam dant enumerare difficillimum est; prætereà limites hujusce libelli arcti, de præcipuis earum mentionem facere tantùm sinunt.

1mò, *Hæmoptysis*.—Vix dubitandum est quin phthisis sæpiùs a hæmoptysi proveniat: si sanguis aut serum effundatur in substaniam cellulosam, vel pulmonum cellulas, basin phthisi dat, præcipuè si in eam proclivitas adsit.

2dò, *Catarrhus*.—Omnibus notum est, post catarrhum longum, phthisin pulmonalem haud rarò insequi.

Iis labe hæreditariâ laborantibus, scrofulosis maximè, est periculosus: ita sanguinis

motus per pulmones impeditur ; hinc distributio abnormis et congestio, quæ vasa sanguinea debilitat et distendit, et rupturæ obnoxia reddit : hinc forsan pulmonis, vel quod sæpius fit, tuberculorum in pulmone existentium, inflammatio.

3tiò, *Asthma*,—a multis inter causas phthiseos enumeratur. In prædispositis, me judice, facilè fieri posse causam excitantem : At exempla sunt multa, admodum senum, annos multos hoc morbo laborantium.

4tò, *Pneumonia*,—a multis habetur causa excitans : at hæc frequentissimè antequam ad statum suppurationis evaserit, supprimitur ; et etiam quando hoc fit, ex pectore ejicitur plerumque pus, vel sanatur ulcus.

5tò, *Tubercula*.—Observationibus satis competum est, scrofulosos præ omnibus aliis phthisi

phthisi obnoxios esse, et maximam partem phthisorum hanc dispositionem planè habere. Sunt quidem medici non parvi nominis, qui, ex centum ægrotis phthisi absumptis nonaginta ad minimum, scrofulosos esse, ponunt. Prætereà, magna certè similitudo et analogia est inter tubercula et ulcera phthisica in pulmonibus, et tumores abcessusque scrofulosos in cæteris corporis partibus *.

CULLENO celeberimo judice, oriri possunt tubercula ab acrimonia à morbis variis orta, e. g. à variolâ, à morbillis, à scarlatina, et præsertim à scrofula †.

Causis

* Vid. GRÆGOR. Tent. Inaug. p. 23.

† Auctor hic acutissimus et doctissimus inquit :
“ In one case, and that too a very frequent one, of phthisis, it appears, that the noxious acrimony is of the same kind with that which prevails in scrofula. This may be concluded from observing, that a phthisis, at its usual periods, frequently attacks persons born of scrofulous parents ; that is, of parents who had been affected with scrofula in their younger years ; that very often, when the phthisis appears

Causis his generalibus excitantibus licet addere calculos, aut materiam extraneam in pulmone, frigus, humorem, exinanitionem solitam repente suppressam, syphilin, vel licet certius remedium ejus, scilicet ab usu hydrargyri.

Secundum Doctorem BEDDOES, causam excitantem frequentissimam esse sanguinem nimis oxygenatum.

CAUSA PROXIMA.

CAUSA proxima hujus morbi satis innotuit.

Cadaverum

pears, there occur at the same time some lymphatic tumors in the external parts; and very often I have found the tabes mesenterica, which is a scrofulous affection, joined with the phthisis pulmonalis. To all this I would add, that, even when no scrofulous affection has either manifestly preceded or accompanied a phthisis, this last, however, most commonly affects persons of a habit resembling the scrofulous."

—*First Lines, cap. iv.*

Cadaverum sectiones hominum phthisi extinctorum ferè semper tubercula, vomicas, ulcerationes pulmonum, exhibuerunt, quibus istud viscus magna ex parte consumitur.

DIAGNOSIS.

Nil difficilius in re medica, aut summâ medici attentione dignius, quam diagnosis. Nunc paucis dicendum est, quomodo phthisis ab iis morbis qui notis quibusdam eam simulant, dignoscatur. Hi sunt Cattarhus, Pneumonia, Asthma, Nostalgia, Empyema, Amenorrhœa. De his igitur, ordine, pauca dicemus.

Catarrbum — inter et phthisin difficillima est diagnosis, propter similitudinem magnum,
præsertim

præsertim in stadio primo. Utique catarrhus ferè incipit cum gradu aliquo raucitatis, coryza, faucium inflammatione; sic tussis sæpè est violenta, et ab initio cum muci expectoratione, et virium magna prostratione, stipata; aggreditur sæpissimè vel in autumno vel hieme. Phthisicorum autem è contrario, tussis crebra et molesta, initio sicca, posteà cum sputo plerumque purulento, et tempore verno vel autumnale præcipuè, eos infestat; at ferè aliquod doloris in thorace, vel in laterum alterutro, fert: signa verò quæ phthisin incipientem multùm, secundum morbi causas, variant.

Signa diagnosin augmentia evadunt admodum conspicua: inter signa notissima est febris hectica, à CULLENO ita descripta:

“ Febris quotidiè revertens, accessionibus meridianis et vespertinis, remissione, rariùs apyrexia, matutina; plerumque sudoribus nocturnis, et urinâ sedimentum furfuraceo-lateritium deponente *.”

Purulentia

* *Synops. Nosol. Method. in loco.*

Purulentia expectorationis, signum insigne præbet; ad quod certissimum reddendum, experimenta sequentia ab ingeniosissimo DARWIN memorantur:

Primò,— Acidum sulphuricum mucum quàm pus faciliùs solvit; aquâ solutioni tali additâ, dispescitur mucus in flocculos, vel in superficiem natat; at aquâ puri in acido soluto additâ, latex fit turbidus, vel pus ad imum præcipitatur:

Secundò,— Solutio caustici alcali et pus et mucum solvet; sed aquâ additâ, solùm præcipitatur pus.

CELSUS periculum ab igne etiam laudat, et dicit: “Quicquid excreatum est, si in ignem impositum est, mali odoris est; itaque, qui de morbo dubitant, hac notâ utuntur *.” Sed ut rectè observatur a CULLENO, et pus et mucus, igne subiecto, malè olent: at experimentorum quibusdam suprà dictorum, necnon animum ad colorem ejus et opacitatem atten-
dendo

* CELSUS, lib. III. cap. xxii.

dendo, plerumque ejus naturam licet comprehendere.

Nuper dictum, pus accuratè à muco oper microscopii, globulosa enim facie est, distinguui posse. Dictum etiam, pus calori balnei ab arena facti, in fermentationem acetosam, et deinde in putrescentem abire.

Pneumonia.—Phthisis ab hoc morbo, tardo aggressu, absentia doloris vehementis, et magna pyrexiae, cum respiratione valde laboriosa et vultu livido, facilè distinguitur.

Asthma.—Dissimilitudo hujus morbi phthisi conspicua est. Asthma certè est affectio spasmodica, invadens paroxysmis, et antispasmodicis sublevatur.

Nostalgia.—Admodum difficillima est diagnosis hunc morbum inter et phthisin: dirigendi sumus, presertim ex ægri priore historia, habitu corporis, et signis existentibus.

Empyema.

Empyema.—Nonnunquam etiam diagnosis valdè difficilis est empyema inter et phthisin: Per longum tempus, cum plerisque signis phthisis, præcipuè cum febre hectica, existere possit. A priore historia morbi tamen, naturalm ejus intelligere liceat. Empyema semper sequela est pneumoniae et pleuritidis, et sensum anxietatis vel gravitatis in thorace inducit, sæpèque cum evidente fluctuatione stipatur.

Amenorrhœa.—Signa amenorrhœæ sæpè phthisi admodum similia sunt. Vera diagnosis est maximi momenti, quippe consilia mendendi valdè contraria sunt. Ut in phthisi, ita in amenorrhœa, magna haud rarò est debilitas; cutis fit pallida; respiratio citata irregularisque, et morbus uterque eodem ferè tempore vitae aggreditur. Amenorrhœa tamen sæpè cum dyspepsia, et appetitu pravo, palpitatione, dolore capitis, et nonnunquam flavedine cutis, non autem cum ulla tussi aut expectoratione purulenta, febreve hectica, sti-

patur. Diagnosis presertim difficilis est in habitu scrofuloso; morbi hi forsan uno tempore aggredi possint.

PROGNOSIS.

PROGNOSIS ex morbi progressu, et causa, ex ægri constitutione, sexu, arte, et ætate, coeli temperie, abscessūsque situ, deduci potest.

Ex phthisi incipiente, bonum exitum sperare licet; confirmata, verò, vix unquam curationem admittit; etenim ulcus aëri perpetuò objectum, et in parte situm, in qua non est facilis puris eductio, atque a tussi ipsa crebrò concussum, vix sanari potest. Non verò semper desperandum est: quanquam hic morbus saepius mortem infert, non defuerunt exempla,

empla, quibus etiam phthisis confirmata feli-
citer terminata fuit.

In phthisi quæ ab injuria externa exorta est, absque vitio interno præ-existente, et in qua subitò rumpitur vomica, expuitur pus album, leve, æquale et inodoratum, aut ex qua vix ulla febris, tussisque non valdè urgens, sæpiùs sa-
nationem admittit; et etiam si ulcus ejus-
modi, a pleuritide, aut peripneumonia, suppu-
rata relictum fuerit.

Multi hæmoptysin sæpè passi sunt, nullo unquam phthiseos signo superveniente.

Multùm pendet prognosis, ex ægri consti-
tutione. Pectus angustum et depresso; spinæ
dorsi curvitas; humeri elati, collum longum;
vox exilis aut clangosa; cutis pellucens, co-
lor valdè candicans, et in genis roseus; gra-
ciliis habitus corporis; creber catarrhus; præ-
cox ingenium,—scrofulam indicant; talibus-
que constitutionibus phthisis sæpiùs lethalis.

Sexui sequiori, magis huic morbo quam
viris, est proclivitas: hæc forsitan ex structura
corporum delicatiore, sed potius, me judice,

ex vestitu leviore, oritur; adde quod, in urbe præcipuè, interdiu probè amictæ perambulant, noctu verò fervidis, hyemali objectæ vi, fermè nudæ conclavibus exeant.

Juvenilium ætatem amat hic morbus, citiusque mortem infert, quia tunc temporis velocior est circuitus sanguinis, et quia morbus hæreditarius magis est timendus, quàm in ætate proiectiore.

Præter hasce causas suprà memoratas, oritur, et etiam augetur, morbus, ex hominis arte: opifices, ex artifiorum natura, pulveri admodum expositi, maximè phthisi obnoxii; talibus morbus lethalis, propter pulverem quam in pulmones quotidiè hauriunt.

Satis verisimile videtur, tabidis multum nocere cœlum frigidum et mutabile: ni fallor, in regionibus frigidis humidis maximè grassatur; at tubercula in pulmonibus, quantum ex variis signis dignoscere possimus, eosdem effectus ex anni tempestatibus percipere videntur. Ægri enim, tempore hiemali aut verno, sæpè tussin levem, frequentem, molestam

molestam et sicciam, cum difficultate respirandi, conqueruntur. Haud raro tamen suâ sponte remittunt, tempore aestivo; autumno autem vel hieme redeunt, et vere appropinquante ægro mortem afferunt *.

Ex observationibus quorundam medicorum nostrorum, qui in regiones calidiores iter fecerunt, hic morbus, multò rarer quam in hac insula, ubi cœlum varium et mutabile.

Pendet prognosis ex abscessûs situ. In non nullis exemplis pus juxta ramum tracheæ situm habet; ex quo, propter pulmonem erosam, in ramum tracheæ evadit, tussique ejicitur. Interdum verò, ruptâ vomicâ, vel vase sanguifero permagno eroso certissimè suffocatur æger.

Postremò, de morbi progressu et terminacione judicandum est ex symptomatum gradu. Morbo incipiente vires haud multùm immunitæ, respiratio facilis, tussis lenis, absque ulla

* Vid. GREGOR. Tent. Inaug. p. 27.

ulla labis hæreditariæ suspicione, bonum indicant. Si sputum non purulentum, nondum febris hectica supervenerint, perita medicamentorum et victus administratio ægrotantem aliquandiu superstitem servabunt. Quando respiratio difficultis ; tussis molesta ; expectoratio copiosa, fœtida, puriformis ; sudores, tumores artuum œdematosi, ad extremum ventum est. Tabidis nihil perniciosius alvi profluvio *.

In fœminis gravidis factis, cursus phthiseos nonnunquam sistitur ; at brevi post partum, signum omne ejus iterum redintegratur, et citò sequitur terminatio mortifera. Hæc omnia, ni maximè fallor, variæ sanguinis distributioni tribuenda sunt. Hinc sanguinis determinatio ad pulmones avertitur, congestio in iis minuitur vel tollitur, et omnia mala exinde provenientia magnoperè levantur vel prorsùs sanantur.

Mania

* HIPPOCRAT. Aphor.

Mania phthisi laboranti accedente, signa interdum mitigata sunt, interdum etiam sublata. Eadem verò decedente, recruduit.

RATIO QUORUNDAM SIGNORUM.

Tussis,—morbo incipiente, ab tuberculo-
rum irritatione et formatione originem dicit;
et stadio provectione, à pure effuso, oritur.

Dyspnæa et *pectus gravatum*,—oriuntur, vel
a thorace angusto et compresso, vel a tubercu-
lis, quæ obstant quo minus liberè sanguinis cir-
citus sit, et quoties sanguis solito abundan-
tiùs ad pulmones adfluit, ejusdem ibi cumu-
latio fit, sicque in cellulosum pulmonum cor-
pus effusionem efficiet, ex qua tuberculæ ori-
ginem ducunt.

Ad

Ad *febrem hecticam*,—proximè spectandum est. De causa hanc febrem concitante, lites inter medicos actæ sunt diu et acriter; nec etiam hodierno die apud eos convenit quæ causa sit. Plures quidem puri resorpto febrem istam adjudicare voluerunt: alii autem hujusmodi sententiam prorsùs abjecerunt. Hecticam ex puris in corpore præsentia pendere, mihi certissimè videtur; sed quod attinet ad modum ejus operandi, nihil pro certo habemus.

Emaciatio,—à ventriculo cibum malè concoquente, sudoribus nocturnis, sanguine viatiato, et adipem reabsorpto, inducitur. E pulmonum obstructione etiam oritur; omnibus enim notum, aliquid ad vitam sustinendam necessarium, ab aëre circumambiente ingredi, et aliquid etiam vitae noxiū per expirationem pulmonibus rejici; sistema totum male se habiturum ex pulmone obstructo patet; prava cibi assimilatio, cum glandularum messengerij

senterii obstructionibus ad hæc haud dubio,
nonnihil conferre possunt.

Intumescentia crurum,—fit à debilitate, et à
sanguinis per pulmonem circuitu obstructo.

Diarrhœa colliquans.—Vix unquam illa pro-
fluere incipit, usquedum in præcipite res aga-
tur, vel saltem morbus inveteraverit: à mate-
ria morbida ad intestina translata; ab arte-
riis exhalantibus praeter naturam laxatis, et a
halitu cutis suppresso, oritur.

Sudor colliquans,—à debilitate generali, et
ab exhalantibus laxatis, exoritur.

In dissertationis hujus parte priore dictum
est, fœminarum graviditatem signa hujus mor-
bi lethalia morari: De ratione cuius rei, alia
ab aliis prolata sunt. A Doctore BEDDOES
ab *oxygenio* abstracto oriri dicitur; ab aliis
a nausea et vomitu, fœminis gravidis factis
adèò familiare; et ab aliis demùm, ex cursu

D

sanguinis

sanguinis pulmones versus averso; hinc enim congestiones tolluntur saltemve minuuntur, et mala ab iis proficiscentia ita depelluntur.

SECTIONES CADAVERUM.

PULMONIBUS phthisicorum, è vita raptis, inspectis, tubercula plerumque inveniuntur *, quibus istud viscus magna ex parte consumitur. De eorum natura et origine adhuc ignotum est. Opiniones variæ per multos annos prolatæ fuerunt, à variis medicis, hîc non in animo est tradere; profectòque limites hujusce libelli me in hanc arenam descendere vetant: Sit satis in præsentia, olim glandulas induratas esse æstimas memorare. Sed opinio hæc meritò re-
jecta

* Vide MORGAGNI, lib. ii. epist. 22.

jecta est, nulla enim structura glandulosa, in membrana cellulosa pulmonis esse videatur. Nihil mirum quidem, ea credita esse glandulas affectas, quoniam inventa fuerunt in corporibus scrofulosis, et in eis affectis tumefactione in glandulis mesentericis, lymphaticisque colli, et axillis. Tuberculorum moles admodum varia, nonnunquam, ex magnitudine milii seminis ad eam pisi, vel adhuc amplius. Nunc per pulmonem sparsa, nunc per pulmonem congregata, in inflammationem et suppurationem abeunt.

Firmitas eorum maximè diversa est; aliquando nodosa, sed plerumque coagulata vel similia caseo sunt, et, sectione factâ, ita videntur; et ea posse extitisse in pulmone eorum, qui nunquam per totam vitam de thorace questi erant, compertum est*.

Frequenter

* “ In cadaveribus nonnullorum phthisicorum, qui, dum in vivis agerent, de nullo pectoris dolore conquesti fuerant, occurrebant in pulmonibus ulceræ insignia cum maximè partis consumptione.”—LIEUTAUD, tom. i. p. 489.

Frequenter hæc tubercula ulcerata videntur; et, haud raro massa eorum ulcerata, speciem unius magni abscessûs inducit *. In his vomicis communicationes bronchiales plerumque comperiuntur †, et pulmone presso, pus ex minoribus ramulis, in asperam arteriam fluere percipitur. Serum vel pus extra vasa, in viscidam sive duram crustam mutatum subindè videre licet.

Secundum accuratissimum Doctorem BAILLIE ‡, contra hæmorrhagias, quæ tam probabile

* “ Sinister verò lobus, latus versus, duram substantiam, ad pyri majoris magnitudinem, quæ substantiam indurati pancreatis quodammodo referebat, in ejusque medio parvum ulcus, puris plenum, continebat.”—MORGAGNI, lib. ii. epist. 22. art. 15.

† Vide Dr STARK’s *Works*, p. 27.

‡ “ When blood-vessels are traced into an abscess of the lungs, I have found them very much contracted just before they reached the abscess, so that the opening of their extremities has been closed up entirely.

bilè sunt evasuræ, à Natura pulcherrimè præcavetur. Substantia pulmonis, proxima abscessui, vulgo aëri firma et impervia observatur. Ab ingeniosissimo Doctore STARK, partes plerumque superiores posterioresque pulmonis præcipuè, et pulmonem sinistri lateris, magis ferè quàm dextri, affici notatur *. Observatio hæc sectionibus à MORGAGNI narratis convenit †.

MONRO TERTIUS, nuper mihi portionem pulmonis fœminæ, phthisi extinctæ, monstrabat. Pars major pulmonis dextri æquè dura ac cartilago, et in aquam injecta fundum ejus statim petivit. Pulmonem sanum inter et morbidum, stratum fuit lymphæ coagulabilis: Superficies ejus, similem laminam exhibebat.

entirely. This change in the blood-vessels is no doubt with a view to prevent haemorrhages from taking place, which would certainly be almost immediately fatal."—*Morbid Anatomy*, p. 47,

* Dr STARK's *Works*, p. 28.

† *De Sedibus et Causis Morborum.*


bebat. Cavum, huic parti morbidæ proprium, fuit aquæ plenum. Lympha coagulabilis interdum inter pulmonem sanum et morbidum effunditur; hoc modo, me judice, morbi progressus quodammodo sistitur.

Concretiones calcariæ intra pulmones et glandulis bronchiales nonnunquam inveniuntur. Plerique auctores de adhæsione inter pleuram pulmonalem et costalem, mentionem faciunt: Quamvis hæc species morbida plurumque in phthisicis invenitur, tamen huic morbo minimè propria; nam in quibusdam, qui nunquam phthisi affecti sunt, etiam in eis, quibus forsan nunquam fuerunt graves ulli morbi pectorales, sæpiùs observantur tales adhæsiones.

Professorem nostrum observare, rarissimè corpus ullum à se sine ea lustratum esse, audiui*.

ME-

* MONRO TERTIUS, in prælect.



MEDENDI RATIO.

ITaque phthisei, cùm morbus sit qui postquam adoleverit, difficillimè vinci possit, maturè occurrentum est.

In tanta tamen causarum, et phthisium varietate, nulla statui potest curandi ratio adeò universalis, quæ singulis causis, phthisibusque, earumque diversis stadiis aut gradibus, accommodari queat.

Incertus quidem in hujus morbi curatione, adeò justè medicorum opprobrii dicti, est medici successus. Stadium incipiens unicum esse videtur, in quo strages ejus supprimi possit. Constat inter omnes, stadio proiectiore, quippe in quo vix ulla spes est, ad remedia levantia sola confugiendum.

Verùm

Verùm enimverò, quamvis eorum ineffecia, utpote merè levantium, et prorsùs ad miserum servandum impotentium, ploranda est ; nihilominus haud parùm juvabit ærumnas, contra quas minùs præcaveri potuit, levare saltem posse.

De variis remediis, quæ contra hæmoptysin, syphilin, et alios morbos jam dictos, in usum vocamus, mentionem facere, à consilio hujusce dissertationis prorsùs abest.

Tuberculorum tractatio, quippe quæ hujus morbi causa infausta generalius sunt, merito curam medici summam sibi vindicabit : eorum curatio igitur pars paginarum sequentium præcipua erit.

Primò,—Consilia ad tuberculorum inflammationem impediendam aut avertendam, maximè accommodata proponam.

Secundò,—Remedia illa, quæ successu optimo, et medicinam facientium experientiâ peritissimorum, stadio ultimo plerumque ad signa' moesta varia levanda, adhibentur.

Ad *CONSILIIUM PRIMUM* consequendum, nihil melius cœlo miti esse videtur. Migratio igitur ad regionem calidorem per acrem hiemem, admodum necessaria est. Loca optima, et à medicis laudatissima, sunt in genere Gallia Australis, Neapolis, Melita, Lusitania, Insula Madeira. Laudantur etiam, et jure, comitatus *Devonia*, et partes aliæ in Anglia occidentali, quæ forsan haberi possint ut succedaneum vice locorum remotiorum illorum haud parvum; quippe in quibus phthisici solatia solita, illa phthisicis debilioribus adeò necessaria, et in regionibus peregrinis adeò rara, attingere tam facile possint; quæ, parùm abest quin, me judice, cœli mitioris commoda rependere possint amissa.

Non solùm tamen cœli mutatio, sed et commoda à navigando orta, plerumque addi solent: Et quidem, multis in exemplis, summo cum fructu esse stipata videtur navigatio phthisicis, et saltem signum infaustum omne ferè morari putata est. CELSUS navigandi necessitatem, speciatim memorat: “Opus est,

E

(inquit),

(inquit), si vires patiuntur, longâ navigatione, cœli mutatione sic, ut densius quam id est, ex quo discedit æger, petatur. Ideoque aptissimè Alexandriam ex Italia itur *.” Tussi omnis generis, multùm prodesse videatur navigatio, CELSO judice; nam iterum laudat idem: “ Utilis etiam in omni tussi est peregrinatio, navigatio longa, loca maritima, natationes †.”

Quanquam sæpè fructus ex navigando optimi oriuntur, haud negandum tamen est oriri etiam effectus contrarios. Nausea constans phthisicos nimis aliquando debilitare et vexare videtur: et nihil dubito quin moestitia, quam separatio ab amicis et patria facilè dat, fructum alium omnem sæpissimè frustratum reddiderit.

GREGORIUS noster doctissimus, in prælectionibus memorat, se censere, in exemplis, in
quibus

* Vide Lib. III. cap. xxii.

† Lib. IV. cap. iv.

quibus ægri peregrinare vix possint, fructum oriri posse haud parvum ex hiemem agendo in temperie arte facta, circa gradum sexagesimum thermometri Fahrenheitiani. Forsan etiam liceat addere, in exemplis in quibus æger ex Britannia migrare vix possit, comoda ex navigationibus, subinde tempestate serenâ, factis, haud parva oriri posse*.

Nec migratio ad regionem calidiorem sola necessaria est; summâ ope vitare cœlum humidum, et supra omnia aëra noctu, nitendum est. Ratio ad vestitum etiam habenda est. Thorax, et partes inferiores, speciatim calidæ habendæ sunt; ad quem finem, optimum esse videtur indusium lanosum, et tibialia lanosa.

Exercitatio regularis et mediocris, admodum necessaria est. Et quanquam de exercitatione equestri, vix in verba accuratissimi SYDENHAM jurare ausim, in quibus cum fiducia

* “ Si id imbecillitas non sinit, nave tamen non longe, gestari commodissimum est.” — CELSUS, lib. iii. cap. 22.

cia asserit; “ Hoc tamen sanctè assero, quod neque mercurius in lue venerea, neque cortex Peruvianus in intermittentibus, efficaciores extant, quamquam in phthisi curanda exercitium jam laudatum, modò æger curet ut linteamina probè fuerint arefacta, atque etiam satis longa itinera emetiatur: *”—nullum tamen exercitationis genus excellentius esse judio.

Corporis jactatio pensilis, ut à celeberrimo Doctore CARMICHAEL SMYTH laudata, multùm prodesse invenitur: quod gestationis genus, intra vires hominum uniuscujusque generis est, et in omni tempestate fruendum.

Ad diætam, cura summa est adhibenda. Oportet phthisicos prorsùs diætâ vegetabili, farinaceâ, et lacteâ, vesci. Lac à capris, vel ab asinis, quippe quod ventriculo levius et minùs nutriens, est anteferendum. Phlogistica diathesi primùm apparente, paulum sanguinis

* Opera Universa.

guinis est mittendum*, et catharticum mite et refrigerans præscribendum. Tussi molestâ factâ, aut thoracis aut laterum dolore inquietante, vesicatoria, vel epispastica è pice Burgundica confecta, adhibenda sunt, et sanguis iterum mittendus: Emetica ad nauseam excitandam data, nunc sæpè prodesse comperta sunt.

At hodierno die, ex nullo medicamento fructus major phthisicis, quâm ex *digitali*, percipiendus videtur. Quod ad hujus medicinæ utilitatem, autem, medicorum adhuc diversa est opinio. Forsan in exemplis iis, in quibus minùs profuerit, tamen hoc magna ex parte ex eo pependerit, quod non nisi intempestivè usurpata fuerit, scilicet morbo jam proiectiore sive inveteratiore facto: Magis ita

* “In the older or more stubborn coughs, or in the first stage of a *consumption*, when the patient complains of pains in his side, constriction at his breast, or hot and restless nights, I have trusted most to small but repeated *bleedings*, to issues, and to a low and cool diet.”—Sir J. PRINGLE

ita putare fert animus, quòd sim persuasus, raro medici opem rogare ægros, priusquam provectionis fuerit morbus: et quidem etiam quando primùm arcessitus fuerit medicus, remedia alia priùs ferè solent præscribi.

Cicuta etiam à variis auctoribus multùm fuit laudata; et quidem ex vi ejus in scrofula benè nota, eam attentionem nostram optimè merentem habere fert animus; et forsan junctam cum digitali evasuram efficacissimam.

Nuper maximè laudatur à Doctore CRAWFORD solutio *muriatis barytæ*. Vulgo exhibetur in dosibus quinque vel decem guttularum, et gradatim augetur ad viginti vel triginta bis in die.

Ut simile remedium nuper etiam laudatur solutio *muriatis calcis*. Datur in dosibus viginti vel triginta guttularum quotidie.

Fructus nativi, únà cum potu subacido refrigeranti, liberè sunt permittendi. Balsama acria, et medicamenta alia hujus generis, olim adeò multùm usurpata, nunc jure optimo de-

suetæ

suenta sunt, quippe quæ non solùm inutilia,
sed planè perniciosa.

Ad tussin levandum, tragacanthæ trochisci
mucilaginosi, glycyrrhizæ, et demulcentia hu-
jus generis, alia sunt usurpanda.

Nuper tussilago farfara et maranta arundi-
nacea multùm usurpatæ fuerunt: At minùs
prosunt.

In morbi stadio provectione, ubi tussis æ-
grum assiduè vexat, et ubi somnum frangit
et turbat, opiata omnino sunt necessaria.

Nunc opus est medici scientiâ totâ ad signa
mœstissima levanda, et ad ægri vires suspen-
tandas.

Emaciatione et expectoratione purulentâ
factâ, cinchona à quibusdam medicorum mul-
tùm laudata, et ab aliis, haud minùs repu-
diata: mihi potius utilis agendo, unà cum me-
dicamentis aliis ad vires suffulciendas allatis,
quàm ut morbi antidotum, esse videtur.

Sequentia observantur à celeberrimo
PRINGLE: “ I have frequently (inquit) gi-
ven

given three or four spoonfuls, twice a day, of a decoction of the bark, of a middling strength, without observing it to heat, or obstruct the breathing; but, on the contrary, to have good effect when the patient complained of low spirits and weakness *.”

Sudoribus a tonicis, præsertim ab *acido minerali* obstandum: Forma conveniens et grata hujus est, eo miscendo cum conserva rosa-rum: cuius paululùm frequenter accipi possit.

In stadio proiecto, *lichen islandicus* a Doctori FRITZE, pure rejecto, celebratur. Ferè exhibetur in lacte vel aqua, et miseros per plures annos sustentâsse fertur †.

In hoc morbi stadio sæpè ad *Bristoliam* adire suadetur: Sed, ut GREGORIUS noster rectè notat ‡, locus hic, minimè omnium est hortandus;

* *Observations on Diseases of the Army*, p. 164.

† *Med. & Phys. Essays*, vol. ix.

‡ In prælec.

hortandus; nam ex aquis ejus nihil commodi est sperandum; et visus quotidianus tam multorum et hominum et foeminarum, ad mortem præmaturam festinantium, haud aliter quam ægro a morbo exhausto et quotidie finem eundem intempestivum expectanti, spectaculum mœustum et periculosum esse potest.

Ad diarrhœam colliquantem nunc levandam, astringentia et opiata sunt ministranda. Succus etiam fructuum mollium à CULLENO multum laudatur.

Inhalatio *acidi carbonici gasis* nuper laudata est; et in exemplis quibusdam somnum inducere, et puris ejecti putriditatem perdere, compertum est.

Diæta nunc ex cibo animali tenui et jusculis, esse debet; et forsitan quantitatem parvam vini rubri aquâ diluti, addere liceat. Dyspnœa etiam, quæ tam frequenter urget, a vaporibus aquæ calidæ inhalendis et æthere est levanda. Ad signum alterum molestum quod mo-

ribundum ferè vexat, scilicet aphthas, sublevandum, absorbentia et lotiones astringentes sunt adhibendæ.

F I N I S.

Chlorodrepanis psaltria

Chlorodrepanis psaltria

Chlorodrepanis psaltria

